

quia ipsa tantum de præstantissima anima hominis, nempe
rationali loquitur, quod autem ipsa unius spiraculi tantum-
modò meminert, causa hujus rei est, quia una solummodo
anima hoc nomine digna est, quæ *inspirari* debet & potest,
reliquæ verò animæ alium eumque diversum productionis
modum requirunt, nempe non inspirantur, non infundun-
tur, non extrinsecus accedunt, sed tanquam formæ materia-
les ex natura sua petunt fieri dependenter à materia, hoc
est, educatione è potentia materiæ, & id propter materiæ ac-
ceptum ferunt quicquid sunt. Hinc anima vegetans & sensi-
tiva non fuerunt *πρωτοπλαστω* inspiratæ h. e. divinitus infu-
sæ, sed tanquam dispositiones è potentia educatæ, quæ requi-
rebantur ad hoc, ut corpus ejus esset aptum informari ab
animâ rationali. Sola igitur anima rationalis à Conditore
rerum primo homini insufflabatur, & in faciem hominis in-
spirabatur: Reliqua dicta Scripturæ quod attinet, tunc di-
cendum, quod ipsa loquantur de anima rationali, quam &
nos unam tantum in homine dicimus; Interim tamen pos-
sunt præter hanc aliæ animæ nempe subordinatæ (materia-
les scilicet) esse in eodem homine, de quibus Scriptura non
agit. Reliqua objecta quia paginarum angustia ea non ca-
pit, ipsi conflictui reservabimus. Hæc sunt quæ circa præ-
sentem doctrinam admonere voluimus: Rem ac si non
tetigimus, meliora monenti aures accom-
modare parati lu-
mus.

CORONIDES.

- S. 1. Q. An una in omnibus corporibus v. g. in cælo & hisce inferio-
ribus sit materia? Affirm.
- S. 2. Potest aliquid mutare ubi, ita tamen ut non mutet locum, &
potest aliquid mutare locum, ita tamen ut non mutet Ubi.
- S. 3. Facultates animæ realiter non sint distinctæ ab ipsâ animâ,
sed à parte rei nihil aliud sunt quam ipsa anima.
- S. 4. Visio nostra non fit per emissionem radiorum, sed per receptio-
nem specierum.
- S. 5. Q. An ante diluvium etiam fuerit Iris?

de in salute
v. cl. auct.